

**HYSTORIA FRIDERICI IMPERATORIS MAGNI,
HUIUS NOMINIS PRIMI,
DUCIS SUEVORUM ET PARENTELE SUE.**

Fuit in partibus Suevie parentela nobilium, primo quidem militarium simplicium, qui dicebantur de Stauffen, qui tamen suis probis ac virtuosis actibus ad hoc devenerunt, ut inter barones sive liberos deputarentur. Et ut legitur in libro de miraculis sancte Fidis virginis et martiris, fuerunt de eadem parentela tres fratres, quorum unus dicebatur Fridericus, alter Conradus, tercius Otto. Qui Otto fuit episcopus Argentinensis. Mortuo autem inprimis inter eos Conrado, apparuit idem Conradus post mortem suam fratri suo Ottoni episcopo¹, denunctians sibi, quod in brevi postea esset moriturus, adiciens, fratrem ipsorum Fridericum supervicturum et ad ampliorem honorem ac potenciam perventurum, quam aliquis antecessorum ipsorum prius pervenisset. Et quod relacio sua vera esset, tunc retulit sibi pro indicio quedam verba secreta, que ipsi tres fratres simul locuti fuerunt quodam tempore, quando simul coram reliquiis Karoli Magni fuerunt, que nemo alius quam ipsi tres mutuo audierunt. Itaque in brevi post defunctus fuit etiam Otto episcopus Argentinensis prefatus.

Chron. Urspr. Huic Friderico de Stauffen iuncta fuit matrimonio filia Heinrici imperatoris huius nominis quarti, mortuoque Rudolfo duce Suevorum in bello, qui sibi regnum vendicaverat, dictus Heinricus imperator quartus ducatum Suevie prefato Friderico genero suo contulit. Iste Fridericus dux Suevorum fundator fuit monasterii Loricensis² ordinis sancti Benedicti, ubi ipse postea sepultus fuit cum pluribus regibus et principibus ac coniugibus ipsorum de parentela ipsius. Unde pro epitafio eorundem principum circa sepulchrum in medio ecclesie eiusdem monasterii inveniuntur scripti versus infra signati:

*Si fundatorum tu querens^a nomina, quorum
Communis fossa iuxta nos continet ossa,
Scire velis, horum lege sensum^b versiculorum. 25
Principibus nati requiescunt hic tumulati:
Fundator hic primus humatur dux Fridericus
Cum consorte thori, cuius non^c defuit ori
Christus^d quo melius^e confertur gracia celo.
Binos matre satos^f fratres habet hic tumulatos. 30
Gertrud^g regina, Conradi regis amica,
Illic cum nato Heinrico iacet cinerato. —
Hinc dux Suevorum Fridericus ad alta^h polorum
Transit, germano sibi Conrado associatoⁱ.
Tres fratres horum scribuntur nomina, quorum 35
Renbolt^k, Wilhelmus et tercius est^l Fridericus,
Et soror his quinis^m est combinata Beatrix.
Nobilis atque piaⁿ cineratur Greca Maria,
Philippi regis coniunx; hanc atria regis
Fac intrare pia summi tu^o, virgo Maria. 40
Ipsius nata sita^p cum matre hic tumulata.
Qui legis hec metra, dic, quos obtegit horrida petra,
Eterna vere mereantur luce vigere^q.*

Et quia prefatis principibus ad hoc agentibus preciosissime reliquie in dicto monasterio Loricensi adhuc hodie continentur, quas oculis nostris perspeximus, ideo in quantum inquirere potuimus, easdem reliquias infra annotandas duximus:

a) sic Crusius; que 2; Christmann emendavit quae sint. b) deest 2; supplevi ex Crusio. c) sic Crusius; nunquam 2. d) sic Crusius; Xpo 2. e) melos 2. f) latos 2. g) Gergrud 2. h) alta regis pol. 2. i) sociato 2. k) Rembold Crusius. l) est deest 2. m) quois 2; communis coniecit Christmann. n) pia hic Crusius II, 12, 14. o) semita Crusius II, 12, 14. p) iacet 2. q) gaudere 2. 50

1) Secundum Narrationem de restauratione S. Fidis vallem fluvii Rems, inter Schwäbisch-Gmünd et Conradus comes non Ottoni fratri, sed cuidam mi-Schorndorf.
liti apparuit. 2) Lorch situm in monte supra